

§. VI.

Ex quibus Causis Mandatum solvatur?

687 **M**andatum solvitur I. revocatione mandantis, quæ fieri potest liberè, non tantùm si res adhuc integra sit §. *retic quoque 9. Inst. Mand.* sed etiam si res integra non sit, dummodò mandans mandatario tunc solvat impensas: nec enim obligatur mandans, ut invitus alterius operam excipiat. Lauterb. ad 688 *cit. tit. ff. §. 38.* Antequàm tamen revocatio pateat mandatario, is validè procedit *l. si mandatum 15. ff. d. t. alioquin vel mandatarius, vel alius, cum quo contrahit, aut negotiatur, damnum subire deberent.* 689 II. solvitur renuntiatione mandatarii, quæ si tempestivè fiat, antequàm negotium geri cepit, vel geri debuerit, culpâ vacat §. *Mandatum 11. Inst. d. t. ubi Harpprecht n. 1. & seqq.*

III. solvitur morte mandantis, & manda- 690 tarii, si res adhuc integra persisterit §. *item si 8. Inst. d. t.* Si res integra non sit, Mandatum etiam ad hæredes transit *arg. cit. §. l. si quis 27. §. 3. l. mandatum 57. ff. l. mandatum 15. Cod. eod.* Interim, quæ mandatarius, post mortem 691 mandantis, ante noticiam illius facit, valida sunt, ne iusta ignorantia cuiquam damnum asserat *d. §. item si 8. Conferatur Lauterb. cit. l. §. 40. & seq. Struv. exercit. 22. lb. 14. cum not. Milleri D. Franz cit. l. n. 30. & seq.*

CAPUT III.

De Contractibus Realibus.

**C**ontractibus Consensualibus proximè conjunguntur Reales, videlicet Mutuum, Commodatum, Depositum, & Pignus. Additur quoque Precaria cum Precario: partim quia negotia videntur affinia; partim quia non potest alibi locus aptior iisdem assignari.

SECTIO I.

De Mutuo.

SUMMARIA.

1. Etymologia Mutui. 2. Illius synonymum. 3. Definitio. 4. Est contractus realis. 5. Juris Gentium. 6. Nominatus. 7. Unilateralis & stricti juris. 8. Quò res fungibilis in alterum transfertur. 9. Eà lege, ut res ejusdem generis. 10. Quantitatis & qualitatis restituatur. 11. Regula de his, qui Mutuum dare possunt. 12. Regula de illis, qui Mutuum possunt accipere. 13. & seq. Filiofamilias non rellè accipiunt Mutuum. 15. & seq. SCrum Macedonianum eisdem in utroque foro securus fecit. 20. & seq. *ut ad l. 9. §. 4. & ult. ff. de SCto Maced.* 22. & seq. Nisi factus sit locupletior. 27. Filiofamilias huic beneficio non potest simpliciter renuntiare. 28. & seq. Nec etiam juratis. 31. Consensus paternus in Mu-

tuum impedit SCrum. 32. Cum expressa prohibitione patris non potest convalescere Mutuum. 33. Objectum Mutui sunt res fungibiles. 34. Quæ nonnunquam appellantur quantitates. 35. & seqq. Probatur sententia, quæ negat, plura ovium capita ad objectum Mutui pertinere. 39. & seqq. Argumenta contraria refelluntur. 42. & seq. Quando chirographum datur in Mutuum, Contractus non antea censetur perfectus, quàm pecunias à debitore mutuatarius accipiat. 44. & seq. Mutuatarius tenetur rem in eodem genere restituere. 46. & seqq. In pecunia regulariter argentum pro auro restitui potest. 49. & seqq. Mutuanti datur actio seu conditio. 51. & seq. Subinde difficultas est in probanda verione; de qua remissivè.

§. I.

Quid sit Mutuum?

1 **P**rimum locum in numero Contractuum Realium Imperator in *pr. Inst. Quib. mod. re contrah. oblig.* attribuit Mutuo, quod nomen mutuavit ab eo, quòd faciat ex meo tum. *l. Mutuum 2. §. 2. ff. de R.C.* Nullus eodem de presentati nomine titulus extat in *ff. Cod. aut Jure Civ. sed tantum in tit. 1. lib.*

12. ff. & in *tit. 1. lib. 4. Cod.* inscribitur rubrica de *Rebus creditis:* sumitur tamen ibidem h *Cre ditum & Mutuum* pro eodem negotio juxta *d. l. mutuum 2. §. 1. ff. de R.C.* ibi: *Mutui datio consistit in his rebus, quæ ponderè, numero, mensuris consistunt: quoniam eorum datione possimus in creditum ire; quia in genere suo functionem recipiunt per*

per solutionem, quam specie &c. D. Arnoldus Rath in *discursu Jurid. de Reb. cred. assert. 1. & 2. Prænob. & Clariss. D. Collega de Wolleren in rr. de Reb. cred. & Contr. Mut. cap. 1. n. 15. & seqq.*

3 **D**efinitur Mutuum, quòd sit Contractus realis, Juris Gentium, nominatus, unilateralis, & stricti Juris, quò res fungibilis in alterum transfertur, eàque, ut res ejusdem generis, quantitatis, & qualitatis restituatur.

4 **D**ixi I. *Contractus realis.* Mutuum enim non perficitur, nisi traditione rei fungibilis, seu verà, seu fictà *d. l. mutuum 2. §. 3. ff. de R.C. D. Rath cit. l. assert. 11. n. 1.* Si promittatur solùm, est Pactum nudum, hodie tamen ad producendam actionem sufficiens. Stryck in *usu mod. ad cit. tit. §. 3. & 4.*

5 **D**ixi II. *Juris Gentium.* Ita Imperator in *§. sed jus 2. inf. Inst. de F.N.G. & C.* Ira D. Rath *cit. l. assert. 8. n. 2.* & Clariss. D. de Wolleren *cit. cap. 1. n. 59. & seq.* Est enim Mutuum apud posteriores Gentes liberè receptum; etsi apud Germanos potius in vim Contractus consensualis aut Pacti, quàm in vim Contractus realis valuerit. Stryck *d. l.*

6 **D**ixi III. *nominatus per textum in l. Juris Gentium 7. §. 1. ff. de Pact.* Nec enim Mutuum potest de aliis negotiis, quàm numero solò differentibus prædicari.

7 **D**ixi IV. *unilateralis & stricti juris.* Nam in Mutuo tantùm obligatur mutuatarius, ut rem in eodem genere restituat; mutans autem ad nihil obstringitur, nec actione qua-

piam à mutuario conveniri potest: & idèd Contractus unilateralis est, & stricti Juris. D. Gletle de *Pact. cap. 3. §. 3. n. 2.* D. de Wolleren *cit. cap. 1. n. 71. & seqq.*

8 **D**ixi V. *quò res fungibilis in alterum transfertur.* Ubi suggeruntur duo. I. quòd objectum Mutui constituant res fungibiles; de quibus infra. II. quòd in Mutuo dominium rei fungibilis in mutuarium transferri debeat *pr. Inst. Q. M. R. C. O. l. mutuum 2. §. 2. ff. de R.C. Rath d. l. assert. 23. n. 1.* quia mutuatarius rei fungibilis alium habere non potest absque dominio.

9 **D**ixi VI. *eà lege ut res ejusdem generis.* In diverso genere Mutuum non potest restitui, nec pro vino v. g. dari oleum: partim quia non potest invito creditori aliud pro alio solvi *d. l. mutuum 2. §. 1. ff. de R.C.* partim quia, si placeat contrahentibus, ut res reddatur in diverso genere, non Mutuum, sed permutatio est per *l. origo 1. in pr. ff. de Contrah. empti. l. naturalis 5. §. 1. ff. de P. V.*

10 **D**ixi VII. *quantitatis & qualitatis restitatur.* Quas particulas omittunt multi, ceu Mutuo non substantiales, sed tantùm naturales, in quantum, salvà Mutui substantià, res in alià quantitate vel qualitate restitui potest per *l. cum quid 3. l. rogasti 11. §. 1. ff. de R.C.* Omittere potuissimus & nos, nisi, quæ naturalia sunt Mutuo, non voluissimus alibi tractare. Vid. D. de Wolleren *cit. tract. de Reb. Credit. cap. 5. num. 3. & seqq.*

§. II.

Quis possit Mutuum dare, & accipere?

11 **M**utuum dare potest, qui potest contrahere & alienare. Mutuum enim est Contractus, domini translativus *ex num. 8.* proindeque non potest ab alio dari, nisi qui facultatem habet contrahendi simul & alienandi per text. in *l. mutuum 2. §. 4. ff. de R.C. Sequelas, ex hac conclusione deducendas, post D. Rath d. l. assert. 23. & seqq.* ponunt Clariss. DD. Collega, D. de Wolleren in *cit. rr. de Reb. Cred. cap. 2. n. 19.* D. Franz ad *tit. Inst. Q. M. R. C. O. p. 1. n. 6.* D. Ayblinger ad Someting. *Inst. eod. n. 5.*

12 **M**utuum accipere potest, qui contrahere potest, & contrahendò obligari. Unde pupillus & minor, qui curatorem habet, pecunias mutuas accipere nequeunt: utpote cum obligationem aliquam, absque tutoris aut curatoris assensu, non contrahant Rath. *d. l. assert. 67.* De Prælati Ecclesiasticis & Religiosis in particulari, quatenus accipere possint Mutuum, agit Magnif. P. Pettichacher in *errat. de Contract. in part. q. 3. art. 2. n. 451.* De Præsidibus Provinciarum agit D. Ayblinger ad *d. l. Sub n. 5.*

13 **S**pecialis consideratio est in filiofamilias, cui, pecunias mutuas accipienti, sine consensu patris (Idem est de filiofamilias, & quibuscunque liberis, in patria potestate constitutis *l. sed si 9. §. 2. l. filium 1. ff. de SCto Macedon.*)

14 succurrit SCrum Macedonianum, ac creditoribus actionem efficacem negat. *l. 1. ff. & Cod. de SCto Maced.* Ratio SCri fuit, tum periculum fideiuctionis ex parte filiorumfamilias, quorum corruptum est moribus pecunia promptissimum est medium; tum periculum vitæ ex parte patris, cui filius, non habens, ex quo solvat pecunias mutuas, poterat invidias fruire; tum favor ex partei publicæ, cujus interest, juvenentem, velut Reipublicæ seminarium, non corruptum; tum odium ex parte creditorum, qui, cum occasionem delinquendi subministrarent adolescentibus, indigni sunt, ut actione quâdam efficacijuventur.

15 **U**trum filiofamilias hòc beneficio possit uti non solum in externo, sed etiam interno foro? Disquiri solet. Pachineus *lib. 2. contr. 62. in fin.* putat, filiofamilias in foro interno teneri ad solvendum Mutuum per textum in *l. sed si 9. §. 4. & ult. ff. de SCto Macedonianum* ubi negatur, quòd filiofamilias pecunias ex Mutuo solutas, possit repetere, & additur ratio in *l. 10. seq. quia naturalis obligatio manet.* Verùm tam Juristæ quam Theologi à potiori 6 negant obligationem in utroque foro. Innocent. in *cap. quia plerique 8. de Immunit. num. 3.* Panormit. *ibid. n. 26.* Less. de *F. & F. lib. 2. cap. 20. n. 8.* P. Pettichacher de *Contract. in part.*



part. d. tract. 2. g. 3. art. 2. n. 462. P. Engel ad cit. de Pañ. n. 38. P. Wiefner ibid. num. 31. D. Gletle 3. p. Pand. cap. 9. n. 23. D. Franz ad Inst. cit. l. num. 23. & 34. His novissimè subscript Clariff. P. Franciscus Schmalzgrueber 17 ad cit. rir. de Pañ. n. 13. Ratio est: quia, qui iusta munitur exceptione, uti potest eadem in utroque foro. Atqui filiusfamilias, Mutuum accipiens, iusta munitur exceptione. Ergo &c. Accedit, quòd ex una parte SCrum Macedonianum ob rationes in num. 14. potuerit in foro conscientie filiumfamilias ab obligatione solvendi Mutuum im- 19 nuntiare; ex altera idipsum voluisse præsumatur: cum parum securus esset, qui solum externam vim & sententiam Judicis evitare potest; intus autem in anima tortorem & Judicem sustinere debet contentiorum.

20 At textum in l. sed si 9. §. 4. & ult. Resp. repetitionem pecunie, quam ultrò & spontaneè solvit filiusfamilias, denegatam esse à SCto: quia spontanea solutio non subjacet illis incommodis, quorum consideratione 21 filiusfamilias concessa fuit exceptio. Et licet in cit. l. 10. pro ratione subjungatur: quia naturalis obligatio manet; id tamen non intelligendum est in sensu Theologico, quasi relinquatur obligatio in conscientia; sed tantum in sensu Juridico, quatenus obligatio naturalis non fuit sublata quoad omnes effectus, sed repetitio soluti, quæ & ipsa naturalis obligationis effectus est. l. naturales 10. ff. de O. & A. relicta.

22 Quia autem si filiusfamilias ex Mutuo locupletior evaserit: ane tutus est in foro conscientie? Ratio dubitandi est: quia in cit. l. sed si 9. §. 2. in hoc etiam casu datur exceptio in verb. hoc SCrum Macedonianum & ad filios quoque familiarum pertinet: nec ad rem pertinet, si affirmetur, ornamenta ex ea pecunia comparasse: nam & ei quoque, qui filiusfamilias credidit, decreto amplissimi ordinis actio denegatur; nec interest, consumpti sint nummi, an extent in pecunia. Hæcque ratio P. Pettschacher cit. l. num. 465. P. Wadingo de Contrah. dispus. 6. dub. 4. §. 1. num. 4. P. Haunoldo de F. & F. vltat. 9. num. 379. D. Gletle cit. l. n. 21. persuasit affirmativam. Pro negativa stant P. Engel cit. l. num. 39. P. Wiefner num. 32. Clariff. P. Schmalzgrueber num. 14. quia credibile non est, quòd SCrum Macedonianum voluerit ab illo naturalis æquitatis principio, quòd nemo debeat cum alterius damno locupletari, recedere, & filiumfamilias à solutione in foro interno reddere securum: cum enim tunc habeat, unde solvat, non magis videtur beneficiò dignus, quam si, non oppositâ exceptione, ultrò solverit. Quin imò ne quidem in externo foro beneficium SCti procedere, suadet efficaciter rum ex l. item si 7. §. 12. ff. d. r. ubi negatur exceptio, quando pecunia conversa fuit in utilitatem patris; at quando filiusfamilias fit locupletior, & augetur peculium, & pecunia vertitur in rem pa-

tris: tum ex l. pupillus 5. in pr. ff. de Auth. tut. ubi contra pupillum, qui factus est locupletior ex Contractu, sine consensu tutoris inito, datur efficax actio: ut adeo filiusfamilias non debeat esse melioris conditionis quam pupillus.

Ad cit. l. sed si 9. §. 2. responderi potest, quòd filium & filiamfamilias exceptionem SCti opponere posse, non tantum si ornamenta comparaverit, contra status & conditionis exigentiam, ad luxum & ostentationem; sed etiam si nummi adhucmodum existant, periculum tamen imminet, ne male impendantur: tunc enim nec filius aut filiafamilias censetur evasisse locupletior, nec aliquid in rem patris esse convertum. At, si ornamenta sint comparata utiliter pro ratione dignitatis paternæ; vel pecunie jam sint commixta cum pecunia: tunc enim verò SCrum cessare, ex æquitate naturali advertit Brunnem. ad cit. l. n. 2. & 3.

Illud videtur extra controversiam, renuntiationem SCti, cum non in solum commodum filiusfamilias, sed etiam in favorem patris & Reipublicæ sit introductum, non valere, si juramentò desituitur. Stryck ad cit. rir. §. 13.

Verum, si renuntiatio sit jurata, quasi dubitari potest, an locus sit SCto? quia juramentum, quod servari potest absque dispendio salutis, debet servari cap. cum contingat 28. de Jurejur. Atqui juramentum, quòd renuntiat SCto, potest servari, dum solutio, quæ flante juramento peragitur, non improbat, sed toleratur à Jure. Ergo &c. Leif. cit. lib. 2. cap. 20. num. 8. Fachin. lib. 2. contr. cap. 62. §. mihi sane &c. Clariff. D. Rudolphi in Cent. Palud. 102. q. 27.

Nihilominus & hanc renuntiationem non valere, merito dissentit Abbas in cit. cap. cum contingat n. 22. Wadingo de Contrah. d. disp. 6. dub. 4. §. 1. n. 4. Zoffl. ad rir. ff. de SCto Maced. n. ult. Lauterb. ibid. §. 27. Gletle cit. p. 3. cap. 9. n. 27. Clariff. D. Franz ad cit. rir. Inst. Q. M. R. C. O. p. 1. n. 32. Ratio est: quia juramentum non est obligatorium; quod cedit in detrimentum Reipublicæ vel dispendium tertii d. cap. cum contingat. Sed juramentum, quòd filiusfamilias renuntiat SCto, cedit in detrimentum Reipublicæ & dispendium patris: siquidem occasione peccandi & insidiandi vitæ paternæ non tollit, sed auget. dum aggravat obligationem solvendi, & stimulos addit filiofamilias, per fas & nefas querendi & acquirendi pecuniam.

Planè si parer in Mutuum competent ex- 17 pressè, vel tacitè, puta si sciat, & non contradicat; aut filius accipiat Mutuum in rem & utilitatem patris, vel alimenta, pro honestate necessaria, nec probabilem modum juxta conditionis exigentiam excedat, cessat SCti l. item si 7. §. 12. 13. & 14. l. si filiusfamilias 16. l. filiusfamilias 17. ff. l. Macedonianus 5. l. ult. in pr. Cod. de SCto Maced.

Contra prohibiti- 22 nem expressam patris si filiusfamilias sumat pecunias mutuas, ad comparanda v. g. vestimenta non-necessaria, pro celebranda aliqua festi-

festivitate in Aula Principis, non cessat SCti, tamen si filius indignationem Principis aliàs incurreret: quia, dum contra prohibentem non datur actio negotiorum gestorum, quan-

do negotium utiliter est gestum; minus dabitur actio ex Mutuo contra patrem vetantem, ne filius pecunias mutuas accipiat. Stryck in usu mod. ad cit. rir. §. 10.

## §. III.

## Quodnam sit objectum Mutui?

33 Objectum Mutui constituunt res fungibiles, quæ scilicet reciprocam functionem admittunt in suo genere, dum ejus sunt indolis & similitudinis, ut, si res ejusdem generis restituantur, in specie restituta videatur 341, mutuum 2. §. 1. ff. de R. C. Vocantur aliàs quantitates, quatenus in commercium humanum venire non solent, nisi per quantitatem, sub ratione ponderationis, numerationis, vel adimensionis l. Titia Seio 87. in pr. ff. de Legat. 2. l. quisquis 95. ff. de Legat. 3. l. Lex falcidia 1. §. 7. ff. ad L. Falcid. Clariff. D. de Wolleren de Reb. Cred. cap. 3. à n. 7. Hujus classis sunt pecunia, vinum, oleum, cerevisia, panis, caro &c.

35 Dubitatur autem: an oves constituant objectum Mutui?

Ratio affirmandi est I. quia negati non potest, quòd ova constituant objectum Mutui. Ergo negati non potest, quòd oves ad idem objectum pertineant: sicut enim numerari solent ova; sic numerari solent oves, & ita in humanum commercium venire arg. l. quia 36 sape 35. §. 6. ff. de Contrah. emp. II. quia ex l. si pro mutua 8. Cod. Si certum petat. non obsecurè colligitur, jumenta revocari ad objectum Mutui: cur ergo ad idem objectum non revocentur oves? Sic quondam opinatus 37 erat D. Gletle in Assert. Jurid. assert. 29. Ratio negandi est I. quia oves sunt species, suamque determinationem non habent à quantitate, sed à corpore; nec tanta inter oves similitudo reperitur, ut functionem in suo genere recipiant; quin potius maxima reperitur dissimilitudo non tam in qualitatibus externis, 38 quam internis. II. quia non potest ostendi discrimen, cur plura jugera agri non constituant objectum Mutui, tamen veniant in commercium humanum per quantitatem l. qui fundum 40. §. 2. ff. de Contrah. emp. & plura capita ovium constituant objectum Mutui, quòd veniant in commercium per

quantitatem. Itaque sentit D. Gletle p. 3. Pand. cap. 1. in fin. D. Lauterbach ad rir. de Reb. Cred. §. 24. D. de Wolleren cit. tract. de Reb. Cred. cap. 3. à num. 31. D. Franz ad cit. rir. Inst. Q. M. R. C. O. p. 1. n. 38.

Ad I. rationem affirmandi Resp. ovem ovis 39 tam similem non esse, sicut ovum ovo: nec oves, ut ova, numerari solent, sed oves numerantur per accidens; & ex libera partium conventionione, quando venduntur ad quantitatem juxta cit. l. quod sape 35. §. 6. ff. de Contrah. emp. ova contra numerantur ex natura sua. Certè cum ex num. 38. etiam plura jugera 40 agri vendantur ad quantitatem, & tamen ad objectum Mutui non rectè vocentur: plura etiam ovium capita non rectè vocantur ad objectum Mutui, licet vendantur ad quantitatem.

Ad II. rationem Resp. in cit. l. si pro mutua 8. 41 non jumenta formaliter accepta in Mutuum dari, sed virtualiter, quatenus à debitore debebant vendi, & pretium inde redactum per traditionem brevis manus ut Mutuum haberi, ad mentem l. rogasti 11. in princ. ff. de R. C.

An autem chirographum eò sensu consti- 42 tuat objectum Mutui, ut Titius v. g. possit pecunias, in chirographo scriptas, à debitore exigere, & titulo Mutui retinere? Aliud est dubium; ubi firmiter crediderim, tale chirographum ad objectum Mutui non malè reduci; Mutuum tamen non ante perfectum censeferi, quàm Titius pecuniam à debitore receperit. Rati cit. discursu de Reb. cred. in coroll. finali n. 4. & seq. Brunn. ad cit. l. rogasti n. 4. Lauterb. ad rir. de R. C. §. 12. Clariff. D. de Wolleren cit. rir. cap. 3. à n. 90.

Ratio 43 est: quia Mutuum non perficitur, nisi traditione, verà vel ficta ex num. 4. Sed traditio nec vera nec ficta est, quando pecunia non fuit numerata per cit. l. rogasti 11. in pr. l. rogasti 19. in pr. ff. de P. V. Ergo &c.

## §. IV.

## Quis effectus sit Mutui?

44 Effectus proximus Mutui est obligatio, quam subit mutuatarius, ut restituat rem, quam accepit, in eodem genere, quantitate, & qualitate. Si rem ipsam in specie restituat, fortè quòd pecunias mutuo acceptas ob defectum occasionis non potuerit ad usum intentum applicare, satisfacit obligationi: quia, qui rem in specie restituit, vel maximè censetur eam in genere restituisse; nec potest mutuanus, cui de condigno satisfi-

atum est, desuper conqueri vel protestari. D. de Wolleren cit. tract. cap. 5. à n. 31.

Si moneta aurea sit credita, & reddatur 46 argentea, præcidendò à speciali Pacto & damno creditoris, censetur eadem res in genere reddita: quia in pecunia, in ordine ad commercium humanum, non tam spectatur materia, quam valor. per textum in l. origo 1. in princ. ff. de Contrah. emp. Struv. exercit. ad pand. 16. ib. 27. Miller ib. l. a. Lauterbach.



cit. l. §. 32. D. Franz ad Inst. cit. l. Q. M. R. 47 C. O. num. 50. Quin etiam si moneta grossa sit mutuo data, potest in pecunia minuta restitui, si modo deficiat Pactum, & creditor damnum non patiat per textum in 48 l. debitorum 99. ff. de Salsation. Aa. citati. De Jure tamen Imperii novissimo in Ord. Monet. Ferdinand. I. Anno 1559. Augustæ publicatæ §. die festigenelste 11. constitutum est, quod creditor invitus non teneatur ultra 25. florenos in moneta minuta acceptare. 49 Effectus remotus est actio, quæ in l. neque mutui s. Cod. Quib. non obicit. longi temp. præscr. vocatur actio Mutui; aliâ autem conditio certi ex Mutuo nuncupatur pr. Inst. Q. M. R. C. O. in fin. quia scilicet certa quantitas condicatur, & petitur. Habet sequentia prædicata, quod sit civilis, personalis, rei perceptoria, stricti Juris, & perpetua; competens creditoribus, & ejus hæredibus, contra debito-

rem & ejus hæredes, ad tantumdem in eodem genere, qualitate, & quantitate, reddendum. In deducenda hæc actio in Judicium non nunquam ingens est difficultas de probanda privilegio: puta pupillus, minor, Civitas, Ecclesia, quibus, si pecunia, saltem absque solennitatibus aliâs requisitis, detur mutua, non potest actio cum effectu à creditore moveri, nisi versionem in earum utilitatem probet. Textus in cap. si quorundam 2. de Salsu. l. civi- s. 2. et 27. ff. de R. C. l. cum & ipse 1. l. si ut allegas 2. Cod. Si advers. cred. l. si in rem 3. Cod. Quando ex factis tutor. De Civitate & Ecclesia conferri potest Prænob. & Clariss. D. de Wolleren sæpe laud. tract. de R. C. cap. 2. à n. 99. Et in Lib. II. r. III. de Proc. Fund. cap. 3. à n. 78. De pupillis, minoribus, & aliis potest consuli D. Stryck in usu mod. ad tit. de R. C. à §. 16.

SECTIO II.

De Commodato.

SUMMARI A.

53. Etymologia Commodati. 54. Definitio. 55. Est Contractus realis. 56. Juri Gentium &c. 57. Quod res ad usum. 58. Certum. 59. Gratuitum conceditur. 60. Ut usi finit eadem in specie restituatur. 61. Describuntur persona commodantes. 62. & seqq. Prælati Ecclesiastici nequit commodare res Ecclesiæ immobiles sine solennitatibus. 65. Indigitatur obiectum Commodati. 66. & seqq. Illustratur.

& ampliat. 70. & seqq. Subjicitur obligatio commodatoris. 75. Ostenditur obligatio commodatarii. 76. & seqq. Rei commodate revocari potest, antequam tempus sit finitum, si commodans ipsemet indigeat. 79. & seqq. Actio Commodati directa & contraria describitur. 81. & seqq. Per varias distinctiones ostenditur, quomodo Compensatio locum habeat in Commodato.

§. I.

Quid sit Commodatum?

53 Commodatum est dictum à commodo, & significat in vernacula idem ac, leihen. Unde, cum idem nomen Germani etiam in aliis negotiis, v. g. in mutuo, locatione, precario, ulirpent; diligenter ad terminos conventionis, ad dignoscendam negotii contracti naturam, erit attendendum. P. Engel ad tit. de Commod. n. 3.

commodatum commodatario tribuit usum, & quidem personalem; sicque distinguitur tum à mutuo, in quo transfertur dominium ex num. 8. tum à deposito, in qua nuda custodia conceditur.

54 Definitur, quod sit Contractus realis. Juris Gentium, nominatus, bilateralis, bonæ fidei, quod res ad usum certum gratuito conceditur, ea lege, ut usi finit eadem in specie restituatur.

Dixi IV. certum; intellige quoad tempus & modum, explicitè vel implicitè determinatum per l. si ut certo s. §. 4. & 8. l. in commodato 17. §. 3. l. in rebus 18. in pr. ff. Commod. alioquin si res ad usum incertum concedatur, non Commodatum sed precarium est.


55 Dixi I. Contractus realis. Nam Commodatum accipit suam perfectionem à traditione rei per textum in pr. & §. item 2. Inst. Q. M. R. C. O.

Dixi V. gratuito conceditur. Atque hæc nota discriminatur Commodatum à locatione, qua mercedem efflagitat d. §. item 2. Inst. Q. M. R. C. O. Honorarium tamen Commodato non contrarium esse, deducitur ex paritate Mandati, de quo in cap. 2. n. 6; 7. Lauterb. ad cit. tit. ff. §. 12.

56 Dixi II. Juri Gentium, nominatus &c. Quæ vocabula sumunt explanationem ex præcedentibus.

Dixi VI. ut usi finit eadem in specie restituatur. Hoc est, in eodem numero & in individuo, si philosophicè loquamur d. §. item 2.

57 Dixi III. quod res ad usum. Adeoque Com-



§. II.

Quis commodare possit, & Commodatum accipere?

61 AD Contractum Commodati perficiendum duæ personæ concurrunt, commodans, qui rem dat; & commodatarius, qui rem accipit. Possunt autem Commodatum dare & accipere, qui contrahere & contrahendū obligari. Unde Prælati Ecclesiastici potest quidem accipere Commodatum; potest etiam commodare rem Ecclesiæ; mobilem non-pretiosam: at rem mobilem pretiosam, aut rem immobilem commodare nequit. Tamen enim textus expressus de Commodato non possit ostendi; nihilominus quia in cap. nulli s. de Reb. Eccles. non alienand. generaliter prohibetur conditio, id est, conventio circa res Ec-

clesiæ immobiles vel pretiosas, ut explicatum in tract. l. de Pers. Reb. & Jur. Eccles. p. 2. cap. 4. n. 57. quia insuper in Excus. Ambrosia de Reb. Eccles. non alienand. inter commun. prohibetur locatio, quæ, cum recipiat mercedem, multo minus Ecclesiæ nocet, quam Commodatum, quod gratis conceditur: nullus dubito, quin Commodatum hujusmodi rerum sine solennitatibus sit prohibitum. Nihil omnino, si per Commodatum rei mobilis pretiose nullum Ecclesiæ damnum inferatur, veluti si vas argenteum aut aureum non-sacrum commodetur amico ad convivium instruendum; Commodatum ex nullo capite prohibitum esse, judicarem.

§. III.

Quales res in Commodatum veniant?

65 Objectum Commodati constituunt res omnes, mobiles & immobiles l. ut Praetor 1. §. 1. ff. Commod. corporales & incorporales d. l. & §. 1. in f. l. arboribus 12. §. 2. ff. de Usufr. fungibiles & non-fungibiles l. sed mihi 3. §. ult. l. sepe 4. ff. Commod. propria & aliena l. commodare 15. l. ut 16. ff. eod. sacra & profana arg. cap. cum olim 7. & cap. cum univ. forum 8. de Res. permutat.

licet, quam res fungibiles non posse commodari ad usum, à natura destinatum, sed tantum ad pompam, ostentationem, & dicitur gratia d. l. sed mihi 3. §. 6. & l. sepe 4. ff. Commod.

66 Nec obstat quoad res incorporales I. quod earum nomine, si concedantur ad usum, actio præscriptis verbis accomodetur l. si gratiam 17. in pr. ff. de P. V. Etenim actio Commodati non excluditur, sed solummodo dicitur, esse tutius, præscriptis verbis agere: quia nonnullis ex antiquis Jctis videbatur dubium, an res incorporales obiectum Commodati constituant? Clariss. D. Franz ad Inst. cit. Q. M. R. C. O. p. 2. sub n. 6.

Nec obstat quoad res alienas III. quod furtum censetur facere, qui rem commodatam alteri commodat l. si signore 54. §. 1. ff. de Furt. Nulla siquidem est implicancia, ut quis acquirat actionem Commodati, & tamen committat furtum: quandoquidem & fur acquirat actionem depositi, tamen rem furtivam deponat. l. depositum 1. §. 39. ff. Deposit.

67 Nec obstat quoad res fungibiles II. quod, cum usu consumantur, non possint in eadem specie restitui. Ex hoc enim nil aliud inferre

Nec obstat quoad res sacras IV. quod versentur extra commercium humanum. Jam enim alibi, scilicet in tract. l. de Pers. & Reb. Eccles. p. 2. cap. 1. n. 19. & tract. II. de Jure Propriet. cap. 2. a num. 346. explicatum est, id solum de Contractibus onerosis, in quibus spirituale commutatur per temporali; nec non de commercio quoad usus profanos intelligendum esse.

§. IV.

Quis effectus sit Commodati?

70 Effectus Commodati proximus & principalis est obligatio, quam subit commodatarius I. utre commodatâ nec aliter nec diutius utatur, quam ipsi fuerit à commodante concessum; nisi furti se reum facere velit s. furtum autem 6. Inst. de Obligat. qua ex del. l. si ut certo s. §. 8. ff. Commod. l. quire 76. in pr. ff. de Furt. Quantumvis ex casu aliquo intra tempus conventionis res commodatâ uti nequiverit. König ad tit. Commod. Harpprecht ad §. item 1. 2. Inst. Q. M. R. C. O. num. 67. II. ut præstet diligentiam maximam, & consequenter reparat damna, quæ culpa lata, levi, vel levisimâ intulit, si Commodatum, ut ordinariè contingit, solius commodatarii commodum & utilitatem respiciat §. item 2.

Inst. Q. M. R. C. O. d. l. si ut certa 5. §. 8. ff. Commod. cap. un. X. eod. tit. Sin, ut interdum amat fieri, Commodatum respiciat utilitatem tam commodantis, quam commodatarii, velut si quis Advocato suo commodet libros ad faciendum responsum Juris pro congruo salario, præstatur culpa levis d. cap. un. de Commod. l. eum qui 10. §. 1. l. in rebus 18. in pr. ff. eod. Et si, quod non omnino est inconfluerum, Commodatum tendat ad utilitatem solius commodantis, sicut si quis Jcto pro responso, gratis formando, libros commodet, culpa lata duntaxat erit præstanda d. cap. un. d. l. si ut certo 5. §. 10. d. l. eum qui 10. §. 1. l. si mei 12. 74 in pr. ff. d. 1. Planè si incendium oriaur, nec possit commodatarius res proprias & com-



modatas simul liberare vel salvare (de quo casu loquitur *d. l. sui certo* §. 4. *d. i.*) culpa levissima nequit eidem imputari, ubi res proprias, quæ commodatæ sunt pretiosiores, vel æquæ pretiosæ, salvas retinuit: utpote cum diligentissimus quisque paterfamilias res pretiosiores minus pretiosas anteferre, & ubi pretium est æquale, propriis amplius quam alienis prospicere soleat; licet, si res commodatæ sint pretiosiores, ex eadem ratione propriis debeant anteferri, salvo regressu adversus commodantem, ut æstimationem rerum deperditarum, in compensationem expensarum commodatario persolvat *arg. l. in rebus* 18. §. 2. *ff. eod.* Vid. Clariss. DD. Collegæ, D. Franz ad *d. tit. Inst. Q. M. R. C. O. à n. 34.* D. Aybinger ad *Somering eod. tit. n. 35.*

75 Effectus minis principalis est obligatio, quam contrahit commodans, ut rem, usi non finito, non repetat; damna, ex dolo vel culpa lata causata, refarciat; & expensas necessarias, quas commodatarius fecit, refundat. *l. in rebus* 17. §. 3. *l. in rebus* 18. §. 2. & 3. *l. si Servus* 22. *ff. Commod.*

76 Num commodans rem commodatam ante finitum usum revocare possit, quando re commodatâ ipsemet indiget? Quotidiana est questio; in qua de affirmativa, quam certatim tenent DD. cum Magnif. D. P. Pettschacher de *Contract. in part. q. i. 4. art. 1. num. 194* I. Haunoldo de *J. & J. trall. 10. cap. 7. num. 759.* Stryck in *usu mod. ad tit. Commod. §. 1.* D. Franz *cit. loc. num. 12.* non ambigo; quando commodans casum indigentiae prævidere non potuit. Ratio est: quia, si locator adium, qui mercedem accipit, propter indigentiam propriam possit ædes locatas repetere *l. ade quam 3. Cod. de Locat. cond.* multo magis poterit commodans, qui gratiam & beneficium confert, ex eadem causa repetere rem commodatam.

78 Equidem donatio, semel perfecta, revocari nequit, etiamsi donator aliquam patiar indigentiam. Sed disparitas non longè petenda est inter donantem & commodantem: ille siquidem sui omne, quod habuit, perpetuò transfudit in donatarium; hic autem reservavit sibi sui domini, quocum usus casualis aliis connexus est: adeoque potest usum formalem & personalem, ad tempus à dominio separatum, improvisa necessitate superveniente, ad proprietatem revocare *arg. §. igitur 1. Inst. Per quas pers. nob. acquir.*

79 Effectus remotus est actio Commodatæ, directa & contraria. Directa datur commo-

danti & ejus hæredibus, contra commodatarium & ejus hæredes (saltem pro rata, si plures sint, nec unus solus facultatem restituendi habeat *l. sed mihi 3. §. 3. ff. Commod.*) ut rem commodatam restituat, & præstet, quod æquum est præstari ex *num. 70. & seq.* Contraria datur commodatario & ejus hæredibus contra commodantem & ejus hæredes, ut præstetur, quod præstari æquum est juxta *n. 74.* Ultraque est Civilis, personalis, rei persecutoria, bonæ fidei, & perpetua.

Questio superest: an compensatio locum habeat in Commodato? Negant cum D. Gletle *p. 3. Pandect. cap. 17. n. 6. & 8.* non pauci, quos allegat, & sequitur Harpprecht ad *tit. §. item 2. Inst. Q. M. R. C. O. num. 51. & seqq.* propter textum in *l. ult. Cod. de Commod.* Affirmant Zoëf. ad *tit. ff. Commod. num. ult. Eckold ibid. §. 4. num. 5.* Clarissimi DD. Collegæ, D. de Wolleren in *rr. de Compensat. cap. 3. à n. 75.* D. Franz in *Jurisprind. quint. q. 11. à n. 26.* propter textus generales in *§. in bona 30. Inst. de Act. l. ult. Cod. de Compensat. in pr. & fin.*

Quibus posterioribus accedo, & majoris claritatis gratiâ, sic distinguo. Vel loquitur de compensatione propria, vel impropria seu retentione. Circa compensationem propriam interest, an, ut plerumque fit, species sit commodata, vel quantitas. Si species, non datur compensatio per *tit. l. ult. Cod. de Commod.* quia aliunde species ad speciem vel quantitatem non admittit veram compensationem. Si quantitas (idem est, si species commodatâ & peremptâ, debeatur quantitas) admittitur vera compensatio juxta textum in *num. 31.* citatos: quia habetur objectum veræ compensationis, quantitas scilicet utrinque debita.

Compensatio impropria seu retentionis in Commodato quacunquæ semper invenit locum: quia, si debeatur aliquid commodatario ex ipsa causa Commodatæ, procedit regula ex *l. in re commodata 18. §. 4. ff. Commod.* quod contrario judicio consequi quisque potest, id etiam recto judicio, quo cum agitur, potest salvum habere jure pensionationis. Adde *l. contrariam 1. §. 4. ff. de Contr. tut. & ur. act.*

Singl. autem ex diversa causa quidpiam debeatur, æquitas suadet, ut, quod reconventionem quis potest consequi, retineat jure compensationis improprie, donec ipsi satisfiat *arg. l. si conveneris 18. in pr. ff. de Pignorat. act. l. compensationis 1. Cod. Rev. annot. P. Engel ad tit. de Commod. n. 4.* Lauterb. ad *ennd. tit. §. 26.* Clariss. D. Rudolphi *Pallad. iog. q. 26.*

## SECTIO III.

### De Deposito.

#### SUMMARIÆ.

86. Etymologia Depositæ. 87. Synonymia. 88. Definitio. 89. Est Contractus realis. 90. Juris Gentium &c. 91. & seq. Quod res alteri

gratis. 92. Custodienda traditur. 94. & seq. Dividitur in Depositum in specie & sequestrum. 96. & seq. In voluntarium & necessarium.

rum. 98. & seq. Irregularè & irregularè. 106. Astruuntur persona deponentes, & depositum accipientes. 107. & seq. Agitur de Religiosis. 109. & seq. Et Prælati. 112. Res immobiles etiam deponi possunt. 113. Item res aliena. 114. & seq. Cum re principali non censetur esse deposita accessoria. 116. Si cista deponatur, res ibidem posita sunt deposita. 117. & seq. Docetur, quid furis; quando restituatur cista, & à deponente pretenditur, non omnes res

fuisse restitutas? 120. Obligatio depositarii exponitur. 121. & seq. Tenetur solum ad culpam latam, tamen in rebus propriis sit diligentissimus. 127. & seq. Traduntur casus, in quibus major præstatur culpa. 129. Exponitur obligatio deponentis. 130. & seq. Describuntur actio directa & contraria. 133. Declaratur actio sequestraria. 134. & seq. Discutitur controversia, num compensatio locum habeat in Deposito?

## §. I.

### Quid sit Depositum, & quotuplex?

86 **D**epositum ex eo, quod positum est, ut de cura & fide alterius sit, nomenclaturam trahit *l. depositum 1. in pr. ff. Depos.* Vocatur subinde commendatum aut commendatio per *l. Lucius Titius 24. l. Publica Mavia 26. in pr. ff. l. item 6. l. cum hæreditas 9. Cod. de Tit. Subinde etiam dicitur receptum *arg. tit. Naut. Casp. Miller ad Struv. exortit. 21. ib. 33. l. a.**

88 Definitur, quod sit Contractus realis, Juris Gentium, nominatus, bilateralis, & bonæ fidei, quod res alteri gratis custodienda traditur.

89 Dixi I. *Contractus realis.* Nam Depositum antea, quam res alteri fuerit tradita, perfectum non est; & consequenter, si quis peregrè profectus amico, quem habuit obvium in via, commendaret suas ædes, quas tunc temporis in conspectu non haberet, ad custodiam, non esset Depositum per *§. præterea 3. Inst. Q. M. R. C. O. l. obligationes 1. §. 5. ff. de O. & A.*

90 Dixi II. *Juris Gentium, nominatus &c.* Quæ voces ex sæpè jam dictis explanatæ manent.

91 Dixi III. *quod res alteri gratis.* Ut denotarem, in Deposito non admitti mercedem, sed, ubi merces accedit, locationem aut contractum innominatum videri celebratum

92 *l. depositum 1. §. 8. & 9. ff. Depos.* Esti honorarium non minus in Deposito, quam Commodato, possit recipi *arg. l. prætor ait 2. §. 24. ff. V. bon. raptor.*

93 Dixi IV. *custodienda traditur.* Sola itaque custodia transit in depositarium; quâ ratione Depositum à Commodato, in quo etiam usus conceditur, differt *arg. l. licet 17. §. 1. ff. Depos.*

94 Dividitur I. in Depositum in specie & sequestrum. Depositum in specie est Contractus, quod res non litigiosa ab uno vel pluribus custodienda traditur. Sequestrum est Contractus, quod res litigiosa à litigantibus alicui custodienda traditur cælege, ut lite finita eandem victori restituat. Textus in *d. l. licet 17. in pr. & §. 1.*

Nisi enim partes litigantes consentiant, res litigiosa regulariter non potest sequestrari, sed, si Judex sequestrum iniquè decretum ad effectum deduxerit, remediò spoli contra Judicem alteri consultit *arg. cap. penult. Ut lite pend. Stryck in usu mod. Pand. ad tit. Depos. §. 13.* Casus exceptos

habebis in *lib. II. tract. II. de Process. Jud. cap. 2. à num. 106.*

